



Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiæ Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Quo etiam tempore simultas incessit regi Henrico atq[ue] archiepiscopo Coloniensi Philippo: Nam mercatores quosdam de Duisborg diocesim transiuntes, rebus fecit nudari, q[uod] vestigalia et solitaiura non possoluissent: Nudati, querimonia apud regem adolescentiorem deponunt: Ille, missio nuncio, iubebat sua reddi spoliatis. Archiepiscopus legitimas causas pretendens, non paruit: Iterum missus nuncius redibat inanis: Tertio sub obtentu gratiae praecepit adempta restitui. Tum archiepiscopus male temperans iram, profudit hoc verbum: Neminem posse duobus seruire dominis, & idem male duos regnare. Ea cum regi referrentur, indignatus, curiam super ea re indixit archiepiscopo: Non venit: Indixit alteram, nec in eam venit: Cumq[ue] terciam Moguntiae collocaret, amicorum consilio non eam contempsit: sed magna suorum manu, ut à vi tutus esset, accessit. Quo tempore rex dissimulanter nobiles qui cum archiepiscopo venerant, singulatim euocauit, & compotitis pro rei qualitate verbis hortatur, ut Romano Imperio praestent sacramenta. Illi negare non ausi, prafuerunt. Archiepiscopus h[ec] audiens, rei exitum prasumebat in caput spectare suum: Ideo submissis amicis, regi reconciliatur, iurans quam sancte verbum indignationis primo ferore animi elapsum, non certo consilio prolatum. Suspectum indè tenuere, archiepiscopum male esse affectum Imperio, quod nuper in Angliam, ubi tum erat Henricus Leo, nauigasset. Indè quoquè se purgans, cum regi summax pecuniae munera loco donaret, reconciliatus abibat. Ex illo autem tempore à familiaritate Imperatoris & filij eius elongabat: plurimum dolent, quod tanta deuotione, cum tanto anime sue pericula tempe

terreno seruisset Imperio: & cœpit Coloniam vallo ma-
ximo & turribus firmissimis communire: Quam rem
Imperator, ubi comperit, iusit diligentius obseruari.
quasi noua quedam molientem.

CAPVT XLIX.

Adolphus comes Holsatiæ, cùm per hæc tempora
absentis in Anglia Henrici Holsatiam quietus te-
neret, Thietmarsiam quoquè occupauit, dissimulante
Sifrido archiepiscopo. Sed cùm secundus Hartwicus, qui
Sifrido successit, ad rerum gubernacula peruenisset, co-
pit instantiū iura ecclesiæ suæ recuperare. Cumq[ue] Adol-
phus comitatum Stadensem atque Thietmarsia tene-
ret, causamq[ue] suam non satiis in iure aduersus ecclesi-
am tueretur, Thietmarsiam ecclesiæ reddidit: sed ab ar-
chiepiscopo ducentos modios auenæ in beneficio recepit.
Erat tum annus octuagessimus sextus, cùm Henricus Leo
quondam dux Saxoniæ reuersus in Saxoniam, Brun-
wico quietus consedit, iam decursis annis illi ad exilium
prefinitis. Agebat apud Imperatorem crebris nuncij, ut
ad iura sua restitueretur: nam patrimonium eius à mul-
tiis distractum occupabatur. Imperator literis & nuncij
benè illum sperare iubebat: sed tamen varijs impeditus
casibus, sibem differebat in longum: Nam quicquid Im-
peratori rebellionis succreuerat, vel à summo pontifice,
vel ab archiepiscopo Colonensi, vel à rege Danorum
Kanuto, id Henrici molitionibus inscribebat. Cùm verd
audisset Henricus Hartwicum, quondam notarium su-
um ac scribam, ad archiepiscopatum peruenisse Bre-
mensem, gratulatus illi, rogabat, vt in quencunque si-
bi placitum locum illi ad colloquium occurreret: quod
ille, non satiis memor pristinæ amborum fortune, super-
bius contemnebat, non, quid olim yterque fuerit, recor-
datus.